



IN
SELECTOS QUOSDAM
V. AC N. FOEDERIS TEXTUS.

I.

IN GENESIS 3, 1 — 6.

*Biblica historia de seductis ac lapsis protoplatis a Mose descripta, non est allegoria ex palato Orientalis ingenii: *) Expositio ad literam **) divinis attributis nec repugnat, nec inconveniens quidquam &c. infert. ***)*

*) Haec narratio illa, quam improbe Midleton, Helmond, Beverland impetunt cum innumeris Bibliomachis. — Qui non nihil temperatus scribunt, Mosen existimant ad hieroglyphica Aegyptiorum respxisse, qui de industria sermones suos typis ac emblematis obvelarunt, ne a quovis intelligerentur; verum Mosis (Historiographi) scopus fuerat, rem summi momenti de creatione mundi, de statu primigenio, lapsu generis humani, ac consecuta pernicie, omnes utut simplices, rudes, ipsasque etiam soboles docere. Mosis stylus & character omnes candidae sinceritatis notas prae se fert. Quid vero de eo dicendum

*

fo-

foret, si hanc veritatem, quam pernosse
hominum omnium refert, allegoriae fuso
involutam obscurasset? & qua de causa ob-
scurasset? Nonne Hagiographus c. 4, 1.
scribit: **וְעַזְוָה אֲשֶׁר** quo funda-
mento eruent, Orientalium communem
hunc scribendi morem fuisse? cur vero alibi
Moses stylo plano, & dilucido utitur? Cer-
te apud *Euseb. de praeparat. Evang.* lib. 1. c.
6. edit. *Basil.* pag. 26. *Sanctuniathon a Mo-*
saico aevo longe serius vivens, junioribus
allegoricum, tropologicum & obscurum
dicendi genus adtribuit, haec verba sunt:
Juniores sacrarum rerum interpretes, res ge-
stas repellentes, fabulas, fabularumque allego-
rias excogitarunt, quas rebus naturalibus im-
ponentes, mysteria cum tanta obscuritate in-
duxerunt, ut nemo facile veritatem possit per-
spicere.

**) Ad literam intelligunt *S. Paul.* 2. *Cor.* 2,
3. 1. *Tim.* 2, 14. *Apoc.* 12, 9. 20, 2.
hoc loc. *Satanas* *Draco* & *serpens antiquus*
dicitur: consequitur, dictio hujus veri-
tatem ex hac historia esse capiendam, quo-
modo tandem cunque diabolus per **הנַּשְׁתֵּן**
Evam deceperit. Et dum cit. loc. *Adam*
non est seductus, mulier autem seducta in prae-
varicatione fuit, concludit Apostolus, sub-
jectionem, silentium, disciplinam decere
muliebrem sexum. Hunc lapsum ad lit.
semper agnovit prisca *Judaeorum Ecclesia*
Ec-

Eccles. 17, 5. 6. & 25, 32. Veritatem istam testatam faciunt crebriores Gentilium, & Ophitarum idololatriae, quae cum serpentibus perpetratae, totidem monumenta sunt primae per serpentem seductionis, quibus omnibus Satanas miserum adhuc hominem voluit ludificare. *R. Maimonides*, licet ad tropicam explicationem abstractus, notat, *Adae, Evaе, arboris, serpentis* historiam apud Indos aevo suo fuisse perspectam; imo remotissimis paganis & idololatriis adhucdum notam esse, viri docti testantur. Ferunt etiam in vetustissimis Graecorum mysteriis adclamatum: *ευα*, ac simul monstratum esse serpentem.... Moses quidem expressam de diabolo mentionem non fecit, gravibus de causis, quibus commotus nec spiritus aut genios commemorat. Hunc loc. *S. August.* Lib. 14. *de Civit. C. 11. edit. Antv.* mirifice illustrat.

***) Divinae sapientiae, bonitati & justitiae non reclamat, ut cum multis Antimosaicis putat Bolingbrocke. Deus utique praevedit, sed justis de causis hunc lapsum permisit, propterea tamen non fuit necessarius, nec poena justo acerbior; imo plus innotuit per dispensationem sacramenti absconditi a seculis multiformis sapientia Dei & clementia Conf. *Epb. 3, 9. 10.* Et quid in toto mundo adeo verum ac serium est reperire, quod per ludicram detorsionem non pos-

possit ad risum & jocum inverti? Mirum
igitur non habetur, quod incredulis haec
nostra calamitatum historia fabulae speciem
praesupererat.

II.

IN EXOD. 3, 2.

*Luculentus Ss. lit. utriusque foederis sensus ostendit, illum, qui Patriarchis saepe, & Moysi praecipue, in ardente rubo adparuit, ac Israelitas a servitute Aegypti in libertatem Chanaanitidos adseruit יהוה ipsum, Gen. 48, 16 המלאך מלאך דניאל Job. 33, 23. מלאך מלאך פניו Conf. Exod. 23, 20. 21. non vero tantum creatum fuisse. *) Omnipotentem hunc Salvatorem agnoverunt Moses cum universa omni tempore Synagoga. Celebrarunt Aegyptii, Scriptores Judaei & Gentiles. **) Hic יהוה Dei Filius fuit, MAGNI CONSILII ET TESTAMENTI ANGELUS, Incarnationi praeludens, per quem Deus omnia fecit, conservat & gubernat. ***) Huic sententiae SS. PP. & Ecclesiae Doctores, contra Arianos depraeliantes, constans suffragium ferunt, & ipsa consenserit Ecclesia. ****)*

*) Amplius trecenties in sola Exodo יהוה legitur: Ipse מלאך de se Exod. 20, 2. prae-
di-

dicat : אָנֹכִי יְהוָה אֱלֹהֵיךְ : ego sum *Dominus*
Deus tuus. Quomodo incommutabile hoc
nomen soli Deo , juxta fidem, proprium
& singulare, *Exod.* 3, 15. *Isa.* 42, 8.
hic incommutabilis Divinitatis character
creaturae potest convenire? An toties in
alieno significato , *repraesentative* tantum,
nullibi proprie, Angelo, adsumto corpo-
re, ut aiunt, vices gerenti tribuitur, &
quidem nullo adjecto indicio, ex quo col-
ligi queat, nomen illud tantum de creatu-
ra intelligendum? Quis unquam Propheta,
Hagiographus, Legatus dixit? *Ego Domi-
nus, ego Caesar, Rex &c.!* Si in Patriarcha-
rum historia sub Esau nomine Jacob &c.,
aut in Libro Tobiae nomine Gabrielis tra-
etasset Raphael, ita, ut unus personam al-
terius sustineret, quis haec vel in profano
Scriptore probaret, cum tamen major in-
ter homines convenientia, major inter
Angelos similitudo, quam Deum inter &
creataram? — Ex sententia contraria, quae
Angelum creatum propugnat, *Socinianus*
obloquitur, Verbum non reipsa incarna-
tum esse, sed sicut in V. T., ita & hoc in
mysterio Angelum Dei vices supplere, sic,
ut intelligatur *Filius Dei* non reipsa, sed
repraesentative, adoptive, denominative, scil.
creatura perfectissima ac pene singularis,
Dei autoritate agens. Praefstat igitur Ss.
Script. obvium sensum sequi, & SS. PP. ar-
gumentis contra veteres Arianos suam re-
lin.

linquere efficaciam. Conf. *Exod.* 3. 4. 6.
20. 23. Decretorios hos textus olim va-
ferrimi Ariani e. g. *Euseb. Caesar.* cernen-
tes, fatebantur, ipsum Deum (Patrem)
adparuisse., sed Personam Filii fuisse, Pa-
tres invicte commonstrarunt. Nonne haec
doctrina ad refutandos Socinianos & varios
Theistas, atque ad gloriam Divinitatis Ver-
bi tuendam aptior, praefferenda est? Et
quam eximie relucet Verbi divini erga ho-
mines bonitas, ex qua jam ante Incarna-
tionem in terris visus est, & cum homi-
nibus converfatus? & quidem tanta cum
majestate, ac signis, tam evidentibus praes-
entiae divinae characteribus, ut populus
pene oppressus a gloria Dei clamaret ad
*Mosen Exod. 20, 19. non loquatur nobis
Dominus, ne forte moriamur.*

**) Perpendatur tantum *Exod.* 15. epini-
cion Mosis : אִשְׁר־הָיָה לְהֹהֶן, ubi non ange-
lica creatura, sed Deus ipse tanquam Re-
demtor & Salvator celebratur. Certe tot
prodigiorum ac benefactorum causa imme-
diata Angelus aequre violenter diceretur,
atque Aaron C. 14, 21. loco & nomine
Mosis manum super mare extensisse. Illa
postea miracula *Josue* 4, 23. *David. Psal.*
heb. 77, 17 — 21. *Judith* 5, 12. *Isa.* 63,
11. *Habac.* 3, 8. *Esd.* 9, 11. *Sap.* 19,
7 — 9: imo Christiana Ecclesia *Act.* 7, 36.
Heb. 11, 29. recoluere. Caeterum Conf.

Joseph. Antiq. L. 2. C. 16. *Phil. Lib.* 1. & 3. de Mose. & apud *Euseb. praepar. Evang.* L. 9. C. 28. *Ezechielum Poetam* & C. 17. *Artapan.* Etiam divini hujus beneficij mentionem transcriperunt *Diod. sic. Strabo, Trog. Pom., Polaemon, Ptolom. Mendesius.*

*** Conf. *Ioann.* 1, 3. 18. 5, 36. 37. *Matth.* 11, 27. *Act* 17, 25, 31. *Epb.* 1, 22. 23. *Gal.* 3, 19. *Coloss.* 1, 16. 1. *Tim.* 3, 15. Sicut Filius Dei conditor, conservator, & gubernator est, ita etiam sponsus Ecclesiae suae ab initio constitutus est, quare directorem etiam & Legislatorem (immediatum) fuisse non ambigitur. Haec constans & unanimis SS. PP. ex Script. est sententia, praecipue *Ss. Iren.*, *Hilar.*, *Ambros.* Hic S. Doctor in 1. *Cor.* 10, 9. neque tentemus *Christum* sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt, inquit: *Christum* tentasse dicuntur, quia *Christus* erat, qui ad *Mosen* loquebatur.

**** Ex PP. nonnihil uberior juvat hanc rem stabilire. *S. Iren.* fere per decursum totius *Lib.* 4. *adv. Haeres.* invicte probat, *Filium Dei, Dominum nostrum & Magistrum Adamo, Noe, Abrahae, Mosi* se manifestasse, excluso mediatore Angelo. Cit. *Lib. c. 21. edit. Le Preux, opera Gallafü,* idem S. Pater scribit: *utraque Testamenta unus & idem Paterfamilias produxit, Verbum*

====

bum Dei, Dominus noster Jesus Christus, qui
& Abrabae & Moysi locutus est. Hoc idem
docent S. Hilari. enarrat. in Psal. 134. ad v.,
qui percussit primogenita Aegypti, & in Libris
de Trinit.. Basil. M. adv. Eunom. Lib. 2. Am-
brosi. Lib. 1. de Fide c. 5. Just. Mart. in Dial.
cum Trypb.. Gregor. Naz. Lib. de Fide. S.
Athani. Serm. 4. c. Arianos. S. Chrys. in I.
Cor. 10, 1. Tertull. Lib. 2. adv. Marcionem.
Prudent. in Apotheos.. Leo M. Ep. ad Pulcher.
Hanc doctrinam Concil. Antioch. I. an. C.
266. contra Paul. Samosat. sub Dionys. P. R.
non solum ceu indubitatem tenuit, sed
etiam tanquam ab Apost. traditam in Ep.
Synodica declaravit: scil. Verbum Dei in
persona & sensibili forma Patriarchis & Mo-
ysi adparuisse. Accedit ipsa M. Ecclesia,
recinens Antiph. o Adonai & Dux &c., &
alteram in Parasc. popule meus! quid feci tibi
&c. Evidem S. August. ut Arianorum in-
fano occurreret sophismati, nonnunquam
aliter, quam praedecessores sui V. T. adpa-
ritiones explicare coepit, totius tamen ant-
iquitatis sententiam iterum in variis cir-
cumstantiis secutus, non semel agnovit,
Personam Filii Dei Mosi visam esse. Haec-
que autoritas M. Augustini, sicut & Liber
de coelesti Hier. multos ad opinionem de An-
gelo creato abduxit aevo Doctoris Angelici.
Sed cit. S. August. opinionem de Angelo crea-
to non ita certam habuit, quin aliam eli-
gendi de Domino Christo optionem daret.

Conf.

runt: bella Regibus Israel non conciverunt
a vicinis: gesta *Jebu*, ejusque successorum
non adornarunt, sed praenuntiarunt: non
in idolatriam solum, sed reliqua etiam
flagitia animadverterunt. *Eliam* 4. *Reg.* 1,
9 — 12. &c., *Elisaeum* 4. *Reg.* 2, 23. a cru-
delitatis nota, cuius recentes Manichaei
utrumque S. Vatem arguunt, vindicamus.
Elisaeus 4. *Reg.* 8, 7 — 10. & 2 *Reg.* 19, 15.
Benadad non circumvenit. Quid vero de
Baalam censendum, & *Propheta*, qui 3.
Reg. 13, 18. alteri Prophetae mentitus est,
explicabitur.

**) Haec divinae missionis sigilla. Ostendit
autem biblica historia, vera illos patrasse
miracula, eaque non in angulo solum, aut
coram Filiis Prophetarum; sed in conspe-
ctu universi populi: quibus omnibus nullam
inferunt contentionem, dubium nullum
ementita Gentilium signa. E. g. *Delpica*
Aesculapii, *Vespasiani*, *Hadriani*, *Apollonii*,
Simonis M., *Mabometi*. Et quot, quam
illustria non edidere oracula de eventibus re-
motissimis cum luculentis rerum ac persona-
rum adjunctis, de regnorum fatis ac revo-
lutionibus, de vicinis Judaeae Gentibus
ac hostibus e. g. *Moabitis*, *Ammonitis*, *Idu-
maeis*, *Syris*, *Tyriis*, *Affyriis*, *Babylonis*,
Persis, *Graccis* & *Romanis*? Quid ad haec
Paganorum vaticinia? quorum vanitatem
sapientiores gentilium risui habebant e. g.

Ci-

Cicero, Aristoteles, Epicurus, Porphyrius.
Demosthenes Pythiam a Philippo Rege auro
corruptam, ac Φιλιππιζειν dixit: *Apollo* ipse
ob tortuosa & flexiloqua, quae dedit respon-
sa, λοξιας audiit. De his legi meretur *Euseb.*
lib. 5. Praepar. Evang. C. 10. & lib. 6. C. 4.
edit Basil: ubi ex *Oenomao ethnico graphi-*
ce describit delphica effata: scil. quot ho-
minibus illa fuerint exitio, quam truculen-
ta, turpia & impia: quod Socrates re-
ctius multis responderit. Postea ex *Por-*
p/yr. ostendit, ipsum Apollinem fassum es-
se, quod soleat mentiri. Vanitatem igna-
ri, inertisque Numinis etiam fistit ac irri-
det *Momus* apud *Lucianum in Jove Tragae-*
do a pag. 207. edit. Francof. Coeterum ora-
cula Delphicum, Clarium, Dodonaeum in
una eademque re consiliis suis semper imma-
ne disreparunt, quoties impostores flamines
de praesente casu nequierant deliberare.

***) Haec Samuelis & Prophetarum chara-
cteris tam repugnantia, impia sunt com-
menta. Jam a Mosis aevo existere Pro-
phetiae. Haec vero *schola Prophetarum*
erecta est, ut Deo sacrata juventus in Lege
Domini, orationis & pietatis studio, jeju-
niis, musica sacra ad laudes Dei exercita-
retur ac adolesceret, quam primum Sa-
muel, postea Elias, Elisaeus &c. modera-
bantur: Ex hoc selecto coetu denique ser-
vi Dei atque Vates prodiverunt. Quae de
di-

dispositione ad prophetandum, *de concentu*
musico, ac *largiore vini haustu* per singu-
larem nequitiam increduli effutiunt, im-
probitate plena sunt, & ex Ss. lit. refu-
tantur.

****) Hi servi Dei ac legati unice eniteban-
tur, ut Ecclesiam Israel mundam conserva-
rent, virtutem & veritatem docerent,
spem in Salvatorem accenderent, instan-
tia fata praemonerent. Extraordinaria au-
tem symbola, a Deo praecepta, specia-
lem populi adtentionem excitarunt, talis
modi typis pridem assueti. Carnali qui-
dem ac superbo homini stulta videntur,
sed divinae sapientiae & misericordiae no-
tas singulares ostendunt. Non egerunt indecenter
1mo *Iisaias* C. 20, 2. nudus & *dis- calceatus*, trium annorum signum & porten-
tum. 2do *Jeremias*, dum C. 13, 1 — 6
perizoma suum lineum ad Euphraten in fo-
ramine petrae abscondit &c. ac C. 27, 1 — 3.
vincula & catenas in collo tulit. 3to Eze-
chiel, dum C. 4, 1 — 15. Obsidionem Je-
rusalem per figuram exhibet, dormire jus-
fus super latus sinistrum 390 diebus, super
dextrum vero 40, ac vesci cibis faede con-
fectis. Neque caetera, quae C. 5, 1 — 4
& 12, 3 — 7. narrantur, inconvenientia
esse, probabit Tindal., Christenthum so-
*alt, als die Welt, C. 23. 4to *Oseas* C. 1, 23*
& 3, 1 — 3., si praeceptum Dei, ac Pro-
phetae actio ad hebrai. veritatem rite
exi-

Conf. Serm. 7. super Exod.. librum vero de coeles. Hier. non ante soec. V. scriptum esse, neque S. Dionys. Areop. opus esse, celeberrimi Doctores catholici evincunt. Quae obmoventur ex voce מלאך, & ex Act. 7, 53. Gal. 3, 19. Heb. 1, 1. bene expensa, huic doctrinae nihil adversantur.

III.

IN SS. PROPHETAS.

Prophetae Viri sancti erant, *) a veris oraculis & prodigiis inclyti **) schola eorum non a Samuele ex callido politiae fine fundata ***) Actiones illorum symbolicae, insolitae quidem, non tamen regulis decori adversae: ****) omnes de Christo Iesu praedixerunt. *****)

*) Hos sanctos veritatis testes perdi olim Israelitae nonnisi odio, opprobriis, persecutione vexarunt; hodieum iidem commune sanctorum fatum experiuntur a Bibliomachis & incredulis, qui blasphemо furore iis insultant, & insolente risu V. T. cavillantur. Systema impium Thomae Morgan impugnamus, atque adserimus, Ss. Prophetas reipublicae tranquillitatem nunquam turbasse. Hi profecto Viri sancti non ii sunt, qui ex livore contra Salomonem Je-roboami excitarunt seditionem, & postea hujus, sicut & domum Achab exterminarunt:

exigatur, nihil indecori commisit. In his cit̄. Prophetarum gestis non admittimus visionem tantum parabolicam.

*****) Conf. *Act.* 3, 24. & 10, 43. Potissima in Protoevangelio & alia a Mose usque ad Malachiam illustramus, quae Christianae Religionis hostes obscurare audent & eripere. E. g. *Morgan*, *Tindal*, *Col. lins* &c., dum impie arguunt, permultas V. & N. Testamenti prophetias suo caruisse eventu, quas certe propositiones Christianae fidei summe noxias non invenissent, nisi arassent in vitula Hugonis Grotii.

IV.

ALLEGATIONES V. T. IN NOVO.

*Quae ex V. T. ab Evangelistis allegantur & ab Apostolis, vel ex Heb., vel ex graeco LXX. expressa sunt: *) sensus a Spiritu sancto intentus tum literalis est, tum mysticus **) Persaepe V. T. locorum sensus adducitur, non verba. ***) Testimonia etiam ex Autoribus non inspiratis, imo ethnicis recensentur. ****)*

*) Genus loquendi, ac modus allegandi S. Scripturarum oracula forma externa est, interna illorum sensus. Allegatio frequenter

tior est ex LXX; quia haec versio ubique innotuerat: plures dantur adhuc rationes. Ss. Matth. & Joannes, teste *S. Hier in Iſ.* C. 6. *testimonia sua de hebraico protulerunt, S. Lucas magis testimoniis graecis utitur.*

**) *Literalis* sive *immediati*, praeter alia multa, exempla sunt *Iſa.* 7, 14. & *Matth.* 1, 23. *Deut.* 18, 15. & *Act.* 3, 22. *Pſal.* 2, 7. & *Act.* 13, 33. simul & *Heb.* 1, 5. 5, 5. *Amos* 9, 11. & *Act.* 15, 15. 16. *Micb.* 5, 2. & *Matth.* 2, 6. *Zach.* 9, 9. & *Matth.* 21, 5. ac *Joann.* 12, 14. 15. *Malach.* 3, 1. & *Matth.* 11, 10. atque *Marc.* 1, 2. *Typici* seu *mediati* exempla sunt: *Exod.* 12, 46. & *Joann.* 19, 26. *Num.* 21, 89. & *Joann.* 3, 14. 15. *Joann.* 2, 1 — 11. & *Matth.* 12, 39. *Gen.* 2, 23. 24. & *Eph.* 5, 31, 32.

***) Conf *S. Hier. Ep. ad Pamm. de O. G. I.* & in C. 29. *Iſa.* quare fit quandoque *detractio*, *adjectio*, *transpositio*, *mutatio* &c. Neque id mirum videatur, cum unus, idemque Spiritus, qui aperuit ora Prophetarum, ore etiam Evangelistarum locutus fit. Cumque illorum oracula in N. T. interpretetur, non vero exscribat, cur verbis adnumerandis debuerit adstringi? declaratio ubi a LXX facta est, versio haec retenta est, ubi minus, expensa sunt verba hebraica. Ali-

cu-

cubi neque ad illam versionem, neque ad verba textus Spiritus S. se alligavit, sed sensum verbis novis expressit, revelati verbi sui optimus interpres, & cum nulla sit antilogia, quid pluribus opus est?

****) 2. *Tim.* 3, 8. Apostolus Aegypti Magos nominat *Jannes* & *Mambres* juxta alios יְמָנֵס וַיְמָבְרֵס ex vetere Rabbinorum traditione. *S. Judas Ep.* v. 9. 14. 15. ad apocrypha videtur respexisse; Per hoc tamen Epistolae autoritas periculum nullum subit; nam in citt. quaedam etiam vera repe riuntur, quae a Theopneusto Autore a falsis discernuntur. Tandem *A&T.* 17, 28. ex *Arato* Poeta Cilice a S. Paulo Cilice transumitur, & quod Jovi perverse ac in juste tribuerat *Aratus*, id vero Numini justissime restituit Apostolus. Alterum i. *Cor.* 15, 33. ex Thaide Menandri allegatur; & hunc locum *sanc&titîcatum per Apostolum esse*, adserit *Tertull. Lib. 1. ad uxorem C. 8.* Tertium Apost. laudat *Tit. 1, 12.* ex opere *Epimenidis de oraculis*: quare Prophetam illum adpellat, cum talis a suis haberetur. Licet vero his Gentilium dictis nonnunquam uteretur, poterat tamen *A&T. 26, 22.* jure ad Agrippam loqui, a se nihil dici extra, sive contrarium iis, quae *Prophetae locuti sunt.*

V.

IN CAPUT I. ET II. S. MATTH.
EVANGELISTAE.

*Sancti J. C. Evang. secundum Matth. C. 1. &
2. canonica autoritas ex constanti Ecclesiae
latinae & graece testimonio, omnium SS. PP.,
veterum Scriptorum, imo Haereticorum con-
sensu stabilitur. *) Utrumque Caput primis
jam foeculis in S. Matth. Evang. lectum esse,
Judei & Pagani testantur. **) Difficul-
tates genealogicae, & quae citantur Ss. Prophetar-
rum oracula, banc veritatem non obscu-
rant. ***)*

*) Ad roboranda Homeri, aut Virgilii, al-
teriusque profani initia plus fundamenti
quis adduxerit? Post tot tempora, argu-
menta, criteria in- & externa temerarium
videri posset, huic veritati per tot foecula
ubivis resplendenti, lucem velle affundere,
sed postquam D. Williams Anglus de illa
coepit controvertere, non sine quorundam
plausu, qui adhuc dubitant & negant, pro-
ficuum ac necesse erit, utrumque Caput
vindicare.

Ino nullo hucusque Ms. Graeco, aut
Syrochaldaico sacra Genealogia defuit,
multo minus utrumque Caput. Candabri-
gense (olim Bezae) exemplar, multis pa-
gi-

ginis mutilum, & aliud, quondam ad D. Ebner ab Eschenbach Norimbergae pertinens, in quo D. Michaelis ex descriptione Schonlebiana, meminit, genealogiam deficere, quid, quaeso, ad regulas critices probant? Priscae versiones latinae omnes (etiam MS. Musaei Britannici, Hybernis scriptum characteribus) hanc veritatem, teste D. Wanley confirmant. In quibusdam Codicibus, velut etiam in MS. Arab. Bibliothecae nostrae S. Genealogia ad modum prologi quidem praemittitur, dein incipit C. I. cum ergo natus esset Jesus &c.; at demus, in aliquo exemplari, illam esse omissam, num propterea erit supposititia? Ss. Iustinus, Hegesippus, Iren., Tatian., antiqua Syrorum Ecclesia, & Graeci ac Latini PP. utriusque capituli gesta allegarunt.

Nullum ex Nazarenis Cerinthianis, Carpocratianis adparet vestigium, quod S. Genealogiam in dubium vocarint. In Evang. Nazarenorum res de autentia S. Genealogiae confirmata est ex S. Hier. in S. Matth. C. 2, 5. & in Catal. Script. Eccles. verbo: Mattheus. Quinimo ex S. Genealogia Cerinthibus, & Carpocratis Jesum ex semine Joseph ortum voluerunt. Nequidem Ebionitae prima capita in discrimen citarunt, licet alias Evangelio misere compilato, ex fabulis consarcinato, corrupto & mutilato

**

usi

usū sint. Conf. S. Epiph. Haeret. XXX. pag.
44. edit. Basil.

**) Quem latet, quo furore primi Christiani nominis hostes Genealogiam Evangelicam cavillati sint? *Porphyri*, *Manichaei* apud S. Aug. L. 28. *contra Faustum*. *Julianus Apostata* apud *Cyrill*. *Alex*. *contra Juli*. C. 8. *Celsus* apud *Orig*. Lib. 2, *contra Cel*. Veterum & recentiorum Judaeorum calumniae e. g. in impiissimo & blasphemiarum pleno libro תולירות יש contra Evang. scripto satis etiam patent. His cunctis SS. PP. diversa opposuere systemata.

***) Nullus scriptor Classicus est, qui non plures difficultatum nodos habeat, nulla aetate, solertia nulla expediendos: considerentur tantum *Herodotus*, *Plato*, *Livius* &c. sed his nemo controversiam movet, nemo fragmenta ista spuria vocat, verum enimvero in Ss. literis simile criterion cur negligunt? utique ex eo, quia stylus & argumentum haud arridet, & multos pertaesum est, vitae juxta praescripta Evangelica ordinandae. Male S. Genealogia S. Matth. per Graecorum *Hebraicorum nominum* infuetorum, ut aiunt, oscitantiam & errores vitiata dicitur: Hic Evangelista, qui pro triplici Judaeorum statu, scil. *Judicum*, *Regum*, & *Ducum*, tres Tesseradecades posuit, Conf. S. Hier. in Matth. I. Proge-

ni-

nitores Joseph, S. Lucas vero B. Virginis progeniem recensuit.

Matth. 1, 22. 23. ex Isa. 7, 14. citatur.
Sive S. Matth., S. Angelus illud retulerit vaticinium, loco, cui inseritur, exquisite congruit, ac reipsa ad literam impletum est in partu Virginis Mariae, & Christo vero Emmanuel nostro. Id solum Evangelistae testimonium, licet diu post S. Joseph obitum transcriptum, argutias illorum profligat, qui in Lectionem S. Isaiae tenebras obducunt, atque *versu 15.* transpositiōnem & immutationem fingunt. Ab iis merito dissentimus, qui Prophetica verba primo in alium sensum deducunt, & postea hunc typum in Virgine Matre adimpletum volunt.

Matth. 2, 6. ex Mich. 5, 1. desumitur:
hujus prophetiae characteres tam sunt insigne, ut ne ullus *Zorobabeli* queat tribui, id quod Collins. & Parvish volunt, abutentes vocibus קֶרֶם מַצָּה שׂוֹלֵם cum Judaeis recentioribus, contra veteres RR. & Targum. Soli Jesu C. omnes oraculi notae competit. His non obstant *Ioann. 7, 27.* & *9, 29.* Nulla Evangelistam inter & Prophetam obversatur antilogia, neque necesse est, ut Sacerdotum & Scribarum ad Herodem responsio ad erroneam traducatur explicationem, quam Hagiographus tantum

tum enarrret. Vocabl. בָּאֵלֶּה utramque & vulg. & graec. fert. notionem.

Matth. 2, 15. ex Ose. 11, 1. citatur. Nec dum evincunt post Julianum, Collinf. &c. Adversarii *Oseam* de Israel ex Aegypti servitute libero loqui, certe verba hebraica contrarium suadent. Quidquid sit de LXX, aut de cit. Textu, an ex *Ose. 11.*, aut *Num. 23, 22.* sumitus sit, haec verba jure Christo tribuuntur.

Matth. 2, 17, 18. sunt ex *Jer. 31, 15.* Verba S. Prophetae non de captivitate tribuum decem, nec apte de Judaeis a Nabuzardan Babylonem transportatis intelligi possunt. Placet aliis, verba S. Prophetae *imo* de quadam Judaeorum clade, in tot vero infantum pro Christo caesorum pernicie, quam etiam S. Vates intuitus est, verius, uberiusque esse impleta.

Matth. 2, 23. ex Isa. 11, 1. commoda-
tum volunt, ubi Prophetae ad Messiae ortum
de radice Jesse, domicilium, & humilem
ejus statum respexit, Conf. *Ioann. 1, 46.*
Si cui haec vero displiceant, meminerit,
non dicere Evangelistam: *scriptum est*, sed
dictum est: multa vero a Prophetis dicta
sunt, quae non in Scripturam redacta; haec
autem S. *Mattb.* vel ex traditione vel reve-
latione rescivit. Certas Prophetias orales
Do-

Domini adventum praecessisse, fidelibus
tunc notas, recte colligunt ex *Luc.* 1,76.
& 2, 26, 36. 38.

In his omnibus, absit, ut quis putet, S.
Matthaeum ex similis eventus ratione &
occasione, pro captu & genio Hebraeo-
rum, hoc differendi genere oblectantium,
meras captasse allusiones, aut scitas adcom-
modationes, velut cum multis existimant
D. Velthusen lib. The Authenticity of the first
and second Chapters pag. 73. Jansenius
Concord. ad C. 2., Matth., Lamy in Harm.
edit. Venet. pag. 54. Hic tamen in fine C.
XIII. confitetur: *In his locis Evang. meras*
fieri allusiones, vix credo, ratum enim nubi,
fixumque est, antiquos Prophetas intuitos
Christum, & quae enarrant, typos esse, ita,
ut quae de his rebus praesentibus dicunt, po-
stea in aliis, impleta sint. Quam alias rui-
nosa non essent Christianae Religionis fun-
damenta, facili negotio ab Ethnicis, Ju-
daeis, Philosophis concussa, si Apostoli
tantum flores, & orationis decora, figu-
ras & exornationes adhibuissent. Cit. *Vel-*
thusen has allusiones pag. 75. considerat,
non ceu argumenta posteris exarata, sed
tanquam permissa, ad praeparandos Evan-
gelio animos illorum, quibus haec in usu
& deliciis fuere.

VI.

IN JOAN. 8, 3. 4. 5.

*Historia Evangelica de adultera autentica est: *)
Impie ac Phariseis longe pejores increduli
b. l. dicta & gesta Jesu taxant & perstrin-
gunt. **)*

*) Multa arguunt aduersus illam, praecipue ex Euseb. Hist. Eccles. Lib. 3. C. 39. a Papia, ex vetere traditione discipulorum Apostolicorum illam scriptam esse volunt. Verum cit. loc. Eusebius ipse concludit, in Evangelio secundum Hebraeos eam haberi. Hanc histor. permulti Ecclesiae Patres ut canoniam agnoverunt. Versiones Syriaca, Arab., Persic., & Aethiopica eam habent. In uno tantum ex vetustis septemdecim codicibus, quos Beza penes se habuit, absuit, alia argumenta inficialia non moramur.

**) Dolosa & maligna denuntiantium consilia Christi Jesu sapientia evertit. Neque autoritati publicae obstitit, neque Legem Mos. correxit, aut scelus illud plectere prohibuit, fovendo facinora, ut blasphema fert censura. Astutia & malitia pudore suffunditur, dum accusatores de codem criminis convenit. Sola lectio Historiae cunctas Edelmanni & R. Isaac &c. criminationes & ineptias in ventos difflat.

Infelix mulier unum mandatum Legis violaverat, superbi vero Pharisei summam Legis violabant, charitatem, justitiam, mansuetudinem, Religionem, in Christum

J.

J. conjurati, & ex ejus mansuetudine, quam imitari hos oportuit, insidias illi struendi, ansam sumserunt. Quam multi hodie Pharisaeis & Scribis similes, Zelum legis prae se ferunt, cum Spiritum Legis nullum habeant?

VII.

IN I. JOAN. 5, 7.

Miramur, quae Cl. J. F. Froriep Ss. l. D. Th. Augustanae Conf. in Univers. Erfurtensi Prof. P., propugnante 30. April. 1777. G. H. S. Neries in lucem protulit:
pag. 7. scribit:

*Quod Jobanni suppositum est dictum de tribus in coelo testibus, *) hoc jure, meritoque rejicit Lutherus, & in vernacula versione praeteriit. **) Dictum illud I. Joann. 5, 7. spiritum esse, a Viris eruditissimis accurate demonstratum est. Legas celeberrimum Griesbachium. ***) Lutherum vero, quoad vixerit, ita egisse.... tam certum est, quam quod certissimum. ****) Quo utroque posito summum Virum ab imperitia, levitate animi, cordis malignitate, aliisque opprobriis vindicamus. *****) Lutheri constantia excellentior est Erasmi timiditate. *****)*

ANIMADVERSIONES.

*) Haec periocha, confirmando Ss. Triados dogmati apta, praestantissimorum Codd. MSS. & impress. Graecorum, Ar-

me.

menorum, Latinorum nititur autoritate. Illa ab antiquis SS. PP. allegatur, qui exemplaria aetati nostrae usitata longe praecedentes, *jure meritoque* legitimi habendi sunt testes de primitivae Ecclesiae sensu; modernos vero codices variantes, aut cit. textum omittentes octingentis annis non esse superiores, Viri doctissimi ostendunt. Tam celebris locus, ubi nunc excidit, proclive est, illum abesse ex Librariorum oscitantia, celeritate, aut imperitia, ex vocum similium fronte & fine, teste experientia, & quis antiquitatum gnarus haec addubitet? aut Arianorum etiam conatus malos nesciat? Ubi inquam deficit, stylus S. Joannis VV. 8. 9. & sequentes defor-mantur, & inepte inter se cohaerent. Tam insignem Textum Graeci & Latini ceu autenticum & divinum venerantur; num vero a Latinis Viris Graecorum exemplaribus hic loc. assui potuit casu, fraude aut de industria, & ita supponi, ut Graeci, Latinis jam pridem inferri, hoc additamen-tum ab iis ceu canonicum reciperent? Aut vero Latinis hic a Graecis impositum est? sed nec hoc verisimile, cum longe uberiorius apud nos Lectio hujus versus occurrat; *Calvinus, Peza, Tremellius &c.* illam de-fendunt, & Calviniani semper eam refe-runt. Imo Lutherani eandem Bibliis suis inferuerunt, hic revera, sicut in multis aliis, Reformatore suo prudentiores, qui

illam (ait D. Calmet) aliquibus graecis il-
lius aetatis, Hagenoensi v. g. anni 1521.
aut Aldi 1518. editionibus forte ductus,
supressit. Nec id fecisset, si adhuc vivens
Robertus, Stephani editionem vidisset: cele-
berrimum hunc typographum tanti faciebat,
juxta Tubingenses Theologos. Verbo:
in omnia variarum linguarum Biblia hoc
praeclarissimum S. Spiritus oraculum citra
ullum controversiae indicium transit. Et
hoc dictum Joanni suppositum dicat Cl.
Froriep! cum tamen historiam adulterae
Joann 8, 3. pluribus difficultatibus impe-
ditam contra Semlerum in eadem Dissert.
vindicet; verum in principiis suis ex- &
internis hanc vindicabit nunquam, ceu
autenticam; neque illum S. Joann. insi-
gnem locum autentia spoliabit.

**) *Nullo jure immeritoque rejicit* Vir priva-
tus, quod tanto consensu & constante ju-
dicio receptum est ac adprobatum. Quid-
quid dicant liberiores Critici, & qui pro
Socinianis militant Protestantes, hac peste
afflati. Illud sc. omnibus usitatum est,
Conf. Cypr. de Unit. Ecclesiae, ut postquam
ab Ecclesia recisi sunt, ipsi quoque sacros li-
bros ab Ecclesia receptos, atque textus dogma-
ticos recidant, & quae Ecclesiae soli debe-
tur, rejiciendi, vel adprobandi autoritatem
sibi usurpent, recte inquit Vir quidam do-
ctissimus ex Calviniano Catholicus. Ast
vero cur in vernaculis versionibus suis,
etiam

etiam permultis graecis, exemplaribus non sequuntur Lutherum? Profecto, si hujus Magistri sui vestigiis velint ingredi, pariter (nihil de V. T. loquar) Epift. S. Jacobi, Pauli ad Hebraeos, S. Judae, . S. Joann., 2. Pet., & Apocal. ex Bibliis debent extrudi, & lacerari: sicut hodie de iis, & pluribus aliis contendunt fieri Heterocliti Viri, cum lignatoribus conferendi, qui sylvam ingressi hic abietem, illic fraxinum sibi designant, ex una arbore ramos tantum defecant, alteram una cum trunco disjiciunt, donec tandem ex harum omnium strage, struem sibi, qualem volunt, concinnent. Ita per Ss. Scripturas hodie graffantur.

*) Dicitum illud S. Joann. autenticum esse a Viris eruditissimis accurate demonstratum est. Legas celeberrimum Goezenium. Ecquid nunc igitur? quis recte sentit, veritatem adsecutus? an Griesbachius Wetstenius, Semlerus cum Socinianis Sandio, Crellio, Wolzogenio, aut vero celeberr. Goezenius, Kettnerus, Seldenus cum praestantissimis Criticis & Ss. Scripturarum Interpretibus, cum communi Catholicorum & multorum Protestantium? Grotius hanc pericopen ab Arianis intrusam suspicatur; At Imman. Tremell. ab iisdem erasam putat: quis hanc summi momenti litem aliquando decidat? nemo in Ecclesia Protestantica: in hac semper erit & manebit haec lectio dubiae, incertaeque fidei. Imo

Imo de sincera oraculorum aliorum lectione, de pluribus voluminibus, atque in hodierna tot variantium farragine, ad quosvis pene versus ambigere ac controvertere, cum veritate licebit, quoisque Ecclesiam, quae est columna & firmamentum veritatis, non audierint. Per hujus decretoriam sententiam animus quiescit; internum autem spiritus privati testimonium lites ferit aeternas: quis sectarius non ad istud criterion appellare potest? & quomodo ullum ex his revincent Protestantes in suis his principiis? Nonne Ariani & Sociniani etiam solita rationis principia, regulas exegeticas, criticas, originarias linguis adhibent? Verum trutinatis omnibus quis arbiter & judex erit? quis ex aequo & bono fatis rem discernet homini salutis & veritatis avido?

Singularem h. l. merentur adttentionem effata *Joann. Locke* Angli: *Christianisme raisonnable* pag. 368. Ex iis lineas nonnullas compendiaria via juvat lustrare: postquam ostendit systema Protestanticum, non bene consutum esse, eoque talis communionis Viri adstringere velint alios, ut certos Ss. lit. textus ex sua illorum sententia intelligent, atque normae huic subscriptant, iisdem vero, qui repugnant, notam ausint inurere, imo ex sua deturbent communione: postea laudat, doctrinam Catholicorum melius sibi constare ac cohaerere. Siquidem dicant, Ecclesiam esse infallibilem, huic datum

tam a Christo potestatem, fidelium conscientias moderandi, eosque omni, ad salutem necessaria veritate erudiendi: Sequi igitur, scribit, veros Christianos debere obsequi, alias illos, ipsi Domino J. C., qui per os Ecclesiae loquitur, refragari, eosane contumaces jure ab Ecclesiae communiterminari: haec illustre confirmat *Wilhelmus Saymel praefat. in Epist. Joann. Launoji.*

*****) Egerit ita Lutherus, quoad vixit, quid tum? Nihil tamen certi ex hac autoritate depromitur; certum enim est, quam quod certissimum, Viros Lutheranos hodie omnigena eruditione sacra & profana tantum Lutheropraecellere, quantum lenta solent inter viburna Cypressi. Et tanti Viri *Textus 7. vindices* sunt.

*****) Pace nostra pro *summo Viro* apologetis & vindicias hoc aevo scribat, *summi* interea Protestantes, & ipsa Protestantium Biblia adversantur illi.

******) Lutheri constantem inconstantiam libri ejus patefaciunt: equidem D. Erasmi, qui *homo seculi sui primarius* merito audit, vindicias ob notos naevos non suscipimus, ejus tamen excellentior est eruditio, accuratior disquisitio, atque major conscientiae timiditas in arduo nimis negotio: *Biblia truncandi.*

- 1) Theresius a Jesu: Deconomia divinae reuelationis, et
fundamentale dogma de Secuno et Trino.
- 2) Thera a Jesu: Deconomia divinae reuelationis.
- 3) Veritas historiae Job.
- 4) Tractatus de virtutibus theologicis, praecep. Decalogi etc.
- 5) Resolutio catholica: Nullus articulus fidei est absurda.
rius.
- 6) Tractatus de legibus et peccatis.
- 7) Observationes ad loca quaedam Veteris Testamenti.
- 8) Liber genesis.
- 9) De Nocello contra' Benjaminum Kennicott.
- 10) De Mysterio Trinitatis. f. Hattenger Lang.
- 11) In Daemoni accessu sanctae evangelicae historiae.

H.



